

quoque bajulo, et Gervasio nepote meo, atque Rainaldo de Castro Gunterii tunc Majoris Monasterii notario.

†  
XIII.

*Confirmatio Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesia de Torciaco, vulgo Torcé.*

[BALUZ. *ibid.*]

Ego HILDEBERTUS Cenomanorum episcopus omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam presentibus, notum fieri volo quod monachi Majoris

Monasterii nostram presentiam adierunt petentes ut donum ecclesiæ de Torciaco, quam quorundam fidelium devotio nostris temporibus eorum loco contulerat, concederem et litterarum nostrarum auctoritate firmarem. Quorum petitionem cum qua decuit benignitate suscepim, eisque ipsam ecclesiam futuris temporibus possidendam concessim, et ut ipse ascensus noster atque concessio inviolabilis permaneret, presentibus litteris et sigilli pontificalis impressione eam roborari præcepi.

Data Cenomanis civitate 11 Kal. Octobris.

Ad notas cl. viri D. Loyauté in suprema Parlamenti curia doctissimi patroni, in decem et octo epistolas, antiqui scilicet ordinis, V. Hildeberti Cenomanensis episcopi, deinde Turonensis archiepiscopi.

### BREVE MONITUM

Cum nulli labori parcere decreverimus quominus pro facultate nostra epistolis Hildeberti quælibet lux accederet, non mediocre illis e doctissimis D. Loyauté observationibus in ejus epistolas eventuram speravimus. Has quippe e benevolentia Cl. D. Loge, celebris in suprema Parisiensi curia patroni feliciter nacti, incompositas licet, et multis ubique raris propemodum oblitæ (quamvis tardius et diu post absolutam nostram harum epistolarum impressionem nobis concessas), sed eruditas ad nitorem quo ab auctore, naris emunctæ viro, donatæ fuissent, si vixisset, restituere quantum potuimus ad ejus mentem conati sumus, ne ad reipublicæ litterariæ dispendium in tenebris jacerent, et infeliciter omnino deperirent. Nec ultra quidem decimam octavam epistolam illæ notæ productæ luce clarius demonstrant, quantum ex auctoris ipsius doctrina et eruditione lectores profectum eruisent, si omnes, prout decreverat, per vitam diuturniorem illi datum fuisset illustrare. Hæc tamen notarum paucitas ab illis evulgandis nos non deterruit, cum, ut aiebat antiquus scriptor, *Etiam Analecta deorum venerationi sint*; nec nobis pudori futurum speremus, si versatissimi in antiquis rebus Auctoris notæ nostras quantulascunque sint, obfuscare videantur. His igitur, benigne Lector, fruire, et nostros conatus æqui bonique consule.

AD PRIMAM EPISTOLAM. — *Willelmo de Campellis.*

*Tandem philosophari decreveris. Bene agendi formulam expressisti.* Hoc Seneca philosophorum elegantissimus pene ad verbum expressit. *Ex acquisita philosophorum sententia, morum tibi minime depromens vetustatem.* Oportet enim τὸν βίον τοῦ φιλοσόφου τῷ λογῷ σύμφορον εἶναι· ὁ γὰρ λόγος τοῦ φιλοσόφου νόμος ἀθραύστεος καὶ ἰδῆος ἐστίν, ait philosophorum elegantissimus Plat. De contr. Stoic. Et e veteribus, religiosus, pro casto atque observantissimo et sese cohibenti certis legibus finibusque. Valerius, 1, cap. 9. Seneca, ipse sibi ait formula.

*Ecclesiasticis dignitatibus omissis... institoriam abdicat lectionem.* Sirmodus ad Ep. 11, lib. II. Goffridi Vindocin. interpretatur hunc (62) locum. Eadem metaphora utitur Ulgerius ep. Andeg. apud Joannem Salisberiensem, lib. II Metalog., cap. 20. Nam, ut ait Ulgerius... venalitia disciplinarum gratiosum ad invicem debet esse verbi commercium, nam in philosophantium foro exsulerat comitas, et verba distraherentur ad gratiam.

*Si tamen exoneratus incesseris.* Perstringit Guillelmum plenius et planius Abælardus in historia calamitatum suarum: \* Præceptor meus ille Guillelmus Parisiensis archidiaconus habitu pristino com-

mutato ad regularium clericorum ordinem se convertit, ea, ut ferebatur, intentione, ut quo religiosior videretur ad majorem prælationis gradum promoveretur. Id ei in proximo contigit, eo Catalaunensi episcopo tacto. »

*Ut Christianus doctor abhorreas.* Magister dicebatur. Abælardus passim scilicet magister noster Guillelmus. Auctor anonymus apud Duchesnium in notis ad Abælardum, Magister Guillelmus de Campellis. (Neque tamen erat adhuc universitas, neque doctoratus.) *Fert autem fama id tibi persuasum a quibusdam ut ab omni lectione penitus abstineas.* Nec tamen hic suæ conversionis habitus aut ab urbe Parisiaca, aut a consueto philosophiæ studio eum evocavit, sed in ipso quoque monasterio, ad quod se religionis causa contulerat, statim more solito publicas exercuit scholas, ut ait Abælardus in Commentariis suarum calamitatum. Hac forte Hildeberti epistola persuasus, cæpto operi institit Willelmus.

*Nihil a vilibus topiis gemmæ differunt.* Glossæ veteres πῶρος ὁ λιθὸς τοῖος, τοῖον, αὐτὸς-ὠδῆς τοῖον. Glossæ mss. *Tofus lapis caulonatus, mollis et mobilis*, V. Salmasium ad historiam Augustam. Virg. Juven. Videndus Scholiastes,

(62) Ad verbum *Naviculariam benedictionem*, id est mercenariam, ait institoriam lectionem, dixit

Hildebertus ep. 1, cui sordibus et illiberalis quæstus est propositus ut lucrum institori.

AD EPISTOLAM II [nunc 22 lib. IV.]  
Archidiacono Nannetensi.

(63) De eo non satis liquet. Quid si is fuerit Rivallonus, cujus epigrammata sacra videre aliquando contigit in veteri codice manuario clariss. Menardi Rivallono archidiacono equidem Nannetensi diserte ascribuntur hæc poemata. Sirmondus in notis ad Goffridum (64) refert epitaphium Marbodi. Is ad quem hæc dedit epistolam Hildebertus, poeta erat suo sæculo summus. *Inter arma poetam proferri* ait. Deinde: *In carmine Virgilium obstupescit*. Eædem membranæ hæc nota nomen præferunt R. neque aliter scriptum reperitur in omnibus pene codicibus mss. Hildeberti quos mecum habeo. uno incomp. Sirmondi asserente *Rualunco*, ex cujus fide lemma hujus epistolæ in integrum etiam post multa sæcula restitimus.

*Malo exuli serviat quam civi*. Quo tandem facto patria exactus sit Rualuncus, seu Rivallo, nec suspicione assequi valeo.

*Militiæ labores*. In aliquo forte bello Britannico seu Armorico.

AD EPISTOLAM III. [nunc 11 lib. II.] — Rogero  
Salisberiensis.

V. Malmesb. p. 571: Eadmerus; auctor Antiquitatum Eccl. Britannicæ in Anselmo. Anselmus Cantuariæ, 14 Idus Augusti, Willelmum Wintoniensem, Rogerum Salisberiensis episcopos consecravit presentibus Gerardo Eboracensi archiepiscopo, et aliis Ecclesiæ Cantuariensis præsulibus.

*Sub solo rege vestro*. Rogerus Hocdonenus Annalium parte prior in Guillelmo Juniore de Ranulfo multa refert quæ huic epistolæ lucem fœnerabunt: « Ranulfus contra jus ecclesiasticum et sui gradus ordinem (presbyter enim erat) ad censum primitus abbatiam, dehinc episcopatus quorum Patres a vita discesserant, noviter accepit a rege, et in singulis annis persolvit ei non modicam summam pecuniæ Et hoc usque ad regis ejusdem obitum. Nam eo die quo occisus perit, Cantuariensem archipræsulatum, Wintoniensem et Salisberiensis præsulatum in sua manu tenuit. Fatis vero concessio Guillelmo Henricus III repudiatis fraternis vitis crevit, nec est passus diutius ecclesios præsulibus carere; Salisberiensis quidem præfecit Rogerum virum, si Hildeberto fides est maximum. Sed præstat audire Ordericum testem oculatum, nec suspectæ fidei. Hic lib. IV De Gestis Reg. Anglorum, ubi de Willelmo II, Hoc auctore (Ramulfo) sacri ecclesiarum honores mortuis pastoribus vendendo locati sunt. Audita namque morte cujuslibet episcopi vel abbatis, qui omnia inventa scripto acciperet, omnesque in posterum redditus fisco regio inferret. Interea quærebatur quis idoneus in loco defuncti substitueretur, non pro morum, sed pro nummorum

(63) Ad marginem hujus notæ sic habetur manu ipsius D. Loyauté: *Sed, inquit, Archidiaconus Redonensis. Id forte ex conjectura, non certis indicis, nec ex professo asseruit Ecclesiæ Redonensis Rivallonem, quem certo certius fuisse archidiaconum Nan. et συγχρόνον Hildeberti.*

A experimento. Dabaturque tandem honor, ut ita dicam, nullus, magno tamen emptus. Hæc eo indigniora videbantur, quia tempore patriæ, post decessum episcopi vel abbatis omnes redditus custodiebantur substituendo pastori resignandi, eligebanturque personæ religione et merito laudabiles.

*Novit ille regiam manum*. Atqui suos etiam manes passus est Henricus. Quippe mortuo Anselmo, Cantuariensis archiepiscopatus fructus, more majorum, solido quinquennio suos fecit; quod narrat Eadmerus, lib. .... Et Willelmus Malmesburiensis, lib. I, De gestis pontificum Anglorum: Postquam, inquit, venerandæ memoriæ Anselmus lutei corporis nodos evadens, huic vitæ valescit, vacavit archiepiscopatus pleno quinquennio. Hoc toto spatio cum rex admoneretur ut matris suæ Ecclesiæ viduitati consuleret, a mihi responso differebat.

*Donativo*. Proprie glossæ veteres.

*Melius splendens quam sceptro*.

*Cujus et scientia*. Qualis tandem fuerit (Guido) quem ut amicum commendabat Hildebertus, docet Ordericus loco a nobis descripto, ut hinc liquido appareat Rogerum non ex animi sententia... αὐτὸν ἐννοεῖται δεινὰ δεικνῶσαι τὰς ἐξέχουσας.

*Pro Guidone nostro*. Non mediocriter hæc epistolam illustrabit Historia Vitæ Guidonis, quam subjiçio ex Gestis pontificum Cenomanensium mss. quorum particulam habet penes se doctiss. et clariss. Menardus, cui invidenda non est gloria servatorum tam illustrium cinerum, cujus hodie nusquam compareret autographum injuria tan...

AD EPISTOLAM IV [nunc 16 lib. III.]

*G. episcopo*. Ms. cod. hic præfert tantam: *Episcopo*. Sed quis ille G. quem hic inferunt alii codices manu exarati, incertum. Labor ut Goffridum Andegavensem episcopum esse credam, ad quem alter Goffridus Vindocin. abbas scripsit epistolam 4, lib. III. De quo multa Chronicum S. Albini Andeg., cujus verba descripsit in notis doctissimus interpres. Sed quod ordinationem ejus ad annum 1093 falsum esse convincunt tabulæ quædam cartophylacii Ecclesiæ Andegavensis, quarum subscriptio ita se habet: « Actum apud S. Quintinum in virgulto juxta ecclesiam de parte orientali, XVII Kal. Aug. anno Domini 1095, ind. IV. epacta XII, Philippo Francorum rege, Fulcone Juniore Andegavorum comite, Goffrido de Meduana electo in episcopum » Ordinatus ergo perperam dicitur an. 1093 qui electus tantum appellatur an. 1095. In charta donationis Radulphi vicecomitis de ecclesia S. Nicolai, subscriptio doni Fulconis comitis de Insula Colonnæ episcopo Andegavensi plenius et probe: « Actum Andegavis in camera episcopi, IX

(64) Imo Sirmondus ad Epistolam 11 lib. III. Goffridi sic habet: *Ulgerii opus est epitaphium quod tricenis versibus elegit; incisum est in tumulo Marbodi Redonensis episcopi Juliomagi apud Sanctum Albinum.*

Kal. Julii, vigilia S. Joannis Baptistæ, anno Domini 1096, indictione iv, epecta.... anno ii, quo Urbanus papa Andegaviam visitavit, Philippo regnante super Francos, Fulcone Juniore dominante super Andegavinos, anno dominationis ipsius xxix, sub Goffrido de Meduana Andegavorum episcopo, anno i ordinationis ipsius. » Accedat auctoritas alterius Chronici ms. S. Albini Andegavensis, quod fert similiter ordinationem Goffridi ad annum 1096: 1096, *Goffridus de Meduana ordinatur episcopus*, electus forte anno 1093, quo desiit vivere alter Gaufridus. Idem Chronicon: 1093, *obit Gaufridus episcopus, vi Id. Octobris*. Quod confirmat necrologium Sancti Sergii Andegav. iisdem pene verbis, sed in annum 1093 dilata ordinatio. Egregie errat pro more suo malefidus Annelium Andegavensium conditor Bourdignæus, qui duos hosce Goffridos an Gaufridos in unum compegit, et res gestas eorum contudit.

*Qui ante pontificem* Auctor anonymus Vitæ Guidonis episcopi Cenomanensis: Quamvis Guido ante pontificem adinstar pontificis doctrina conversatione, liberalitate degeret et expensis.

*Pro Guillelmo tuo*. Hujus nominis plures eo tempore exstiterunt Andegavensis Ecclesiæ alumni, ut dubitari possit quis hic Guillelmus quem G. episcopo commendat Ildebertus. An Guillelmus Musca? an Guillelmus de Martiniaco? quos canonicos fuisse constat referentibus tabulis majoris ecclesiæ, an. 1103 et 1106, forte beneficio Goffridi. Certe quiquis illorum fuerit archidiaconatum Transligeriensem adeptus in eadem ecclesia, adversus Rainaldum electum Andegavensem Goffridi successorem stetit, ut pluribus ad epist. 12. Cujus tamen suffragio melior et placatior factus, una cum archidiaconatu decanatum Andegavensem, mortuo Stephano, obtinuit. Quod testantur tabulæ prælatæ ecclesiæ in quibus dicitur decanus et archidiaconus Transligeriensis ad an. 1115 et 1116 (65). Eo forte spectat conquestio Marbodi in epist. ad Rainaldum.

AD EPISTOLAM V (nunc 11 lib. i).

Variant msa. in inscriptione hujus epistolæ. Codex enim... Cord. vindicat eidem G. cui superior data est, contra Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, asserente msa. Sirmondi, cui stipulatur in Anselmi Historia ejus discipulus Eadmerus... libris via clarissimo Seldeno nuper editis et doctissimis notis illustratis. Descripsit Edinerus lib. iii, qui præfixi illius asservantur in Bibliotheca nobilissimi Thuani. Auctor nondum excusus vitæ Anselmi.

*Tuum vero prolixitatem*. Exstant inter epistolas Anselmi nonnulla ad Ildebertum.

AD EPISTOLAM VI (nunc 10 lib. ii),

Est vetus exemplar quod præfert hanc inscriptionem *O. S. abbati* Alii nullam agnoscunt Quid autem

(65) Guill. Muscæ mentio fit in Vita Hild. qui fol. 75 verso dicitur ab Il. canonicus Cenom. in epist. quadam. In ista describit hist. II.... Non is ergo archidiaconus.

A sibi velit capitalis littera non liquet. Odilo (66) quidem eo tempore....

*Quis enim corruptis moribus*. Aristoteles in Eth. de prodigo. Justinianus No. de monachis.

AD EPISTOLAM VII (nunc 7 lib. ii)

Duplex inscriptio hujus epistolæ in libris manuscriptis. Gord. habet: *De incesto conjugio*. Alii inscriptionem tantum quam excudi et epistolæ præfigi curavimus.

*Episcopo Sagiensi*.

*Gualterius de Clincampo*. Exstat in scriniis Gemeticensis Ecclesiæ sententia a Roberto Bellismensi. Odo de Clincampo et Gualterius filius Gualterii. Is est Gualterius de Clincampo (*Clinchamp*), ni fallor, de quo fit hic mentio. Is satis arguit annus millesimus octuagesimus sextus. Eam enim vixisse oportet Gualterium præter annum millesimum centesimum, quo Ildebertum scripsisse hanc epistolam conjicio, qui domum suam incestis nuptiis adeoque infamia opplevit. Ex hoc saltem loco constabit clarum illa ætate fuisse hanc familiam, clarumque Gualterium non solie pacis munis, sed etiam belli, cujus nomen retinuit munitissimum castrum Sagiensis provinciæ, Orderio Vitali celebre, dictum Mons seu Motta Gualterii de Clincampo.

*Convenientibus tamen parentibus virgo solemniter tradita*,

Arnulphus de S. Emmerammo, cap. 3, apprehensam mulieris manum involvit panno, et, ut mores est nuptiarum, seni eub testibus eam in matrimonium concessit.

*Dotata est. Celebrata sunt cætera matrimonii sacramenta*. Mirum non est dotem censeri inter matrimonii sacramenta, quæ more ecclesiastico dabatur a viris pro foribus Ecclesiæ. Charta libertatis Joannis Angliæ regis: « Assignetur viduæ pro dote tertia pars totius terræ mariti sui, quæ sua fuit in vita, nisi de minori dotata sit ad ostium ecclesiæ. » Unde secundum Ecclesiæ morem assignari dicitur in veteri charta Ludovici Junioris, quam publici juris fecit Andreas Duchesnius, vir suo merito clarissimus, in Appendice stemmatis Jomus Drocensis, cujus verba, quæ ad rem faciunt, et rem pene ignotam illustrant, subjicio: « Notum sit universis præsentibus et futuris fratrem meum Robertum in uxorem accepisse Agnetem Brenensem comitissam, et secundum Ecclesiæ morem, ei dotem assignasse.

In titulo dotis et donationis Bertrandi comitis Tolosani apud Entellum; « Ob amorem tui atque decorem filiorum nobis procreatorum, dono tibi in tuo sponsalicio donatione civitatem Ruteni cum comitatu et episcopio, sicut... mea est: et insuper dono in dotalicio Viverium civitatem cum comitatu,

(66) An Odilo de quo Chesnæus ad Abelardum. An Osbertus de quo Gemet. cujus epistolas profert ad Anselm. Guill. An Odo abbas Majoris Monasterii.

quæ de nostra Romana est. Hæc omnia superius nominata tibi uxori meæ ad integrum dono quomodo illa habeo vel habere debeo, per ulla voces, in tali pacto deliberationis, ut dum vivi fuerimus, insimul habeamus, teneamus atque possideamus, et si infantes habueris, qui de me Bertrando fuerint procreati, et de te Electa nati, post obitum nostrum ad illos revertatur præscriptus honor; si vero infantes de me non habueris, et mihi supervixeris, habeas et teneas, et post obitum tuum habeant illi quibus tu dare vel dimittere volueris omni tempore. »

Sine libello dotis filii naturales tantum dicebantur formula 54 : « Inter veteris incerti honoris.... » Hanc Epistolam, quam ipse ..... in prædictos filios suos, et quos in bene ingenua femina illa ipse generavit, et tamen chartulam dotis ei secundum legem non affirmavit..... jam dicti filii secundum legem naturales appellabantur.

Ivo, ep. 16, papa Evaristus contubernia non conjugia dicit esse illarum mulierum quæ non sunt a parentibus traditæ, et legibus ditatæ, et a sacerdotibus solemniter benedictæ. Falluntur et fallunt qui Evaristo.....

Auctor Vitæ Ildeberti de Henrico : « Sacrilegos agebat conventus, ubi novum dogma dogmatizabat, quod femine quæ minus caste viverent, coram omnibus vestimenta sua cum conjugibus nudæ existentes remaneret, nec aliquis amplius aurum, argentum, vel cæteras possessiones cum uxore acciperet, nec ei dotem tribueret, sed nudus nudam, et pauper duceret pauperem. »

*Alteri filio suo.* Roberto de Clizcampo, qui subscripsit sententiæ Rotroci concilio una cum aliis proceribus post annum 1126; quod tibi liquido constabit, si integrum ejusdem exemplum videre vacat, lib. III, c. 6 Historiæ Perticensis clariss. Ægidii Bry.

*In uxorem traditurus.* Similis argumenti est epist. 17. Ivo Carnot., ep. 148 ad Ildebertum, eandem pene questionem exagitat, cujus scriinia expilare cum non dubitarit Ildebertus de posteritate mulierum .... transcripsit in hanc epistolam dicta Patrum Ambr., Chrysost. et Isidor. ab Ivone laudatorum : quod patebit vel mediocriter intelligenti. Cæterum, non abs re fuerit hic observare jurisconsultos Græcos.

*Cum initiatur conjugium.* Synodalis Joannis Xiphilini τῆς νομόμος μνηστειας τοῦ νόμου τάξιν τε καὶ κατέστησαν ἐχέουσα. Cum legitima sponsalia matrimonii locum et conditionem obtineant (67); quod solemne non solum sacris, sed et profanis auctoribus, uno aut altero excepto, palam fiet. Vide Balsam, in responsis 6, p. 365.

*Immaculatam, sicut incorruptam.* Vide Hincm. de divortio Bosonis de hujusmodi maculis.

(67) Ivo, ep. 167, tient qu'une fiancée ne peut être mariée à un autre, et qu'il faut résoudre le mariage suivant.

**A** *Chrysostomus*, hom. 16 in Matth.

AD EPISTOLAM VIII [nunc 2 lib. 1].

Variant codices mss. Sirm. Eidem scilicet *Serlani* inscribit cod. optimæ notæ: alique nonnulli *Radulpho archiepiscopo*. Consensum omnium pene codicum sequi malui, nominatim Radulpho attribuentem, de quo plura ad epist. seq.

*Flabellum tibi misi.* Glossæ Sirmundi manu exarata: *Flabellum muscarium*.

*Immolantes Domino sacerdotes gravius infestantur.* Ad hanc rem Jamblicus apud Eusebium De præparatione evangelica.

*Mentibus inopino ingerunt. Alia inopinato.*

*Ad alia atque alia. Ms. atque aliena.*

AD EPISTOLAM IX [nunc 4 lib. II].

*Radulpho.* De Radulpho Turonensi doctiss. et clariss. Sirm. ad ep. 30, lib. I Goffridi Vindoc... Incertus in addendis ad ep. 108 [Ivonis Carnotensis, Libellus restorationis Majoris Monasterii a Laurentio Bochello editus, testatur eum interfuisse synodo Claromontanæ. Urbanus II papa gloriosus ab urbe Roma veniens, et sola charitatis gratia Gallias invisen, cum in Claromontano concilio in præsentia quingentorum ferme Patrum, archiepiscoporum scilicet, pontificum et abbatum, ipsis universis una cum Radulpho Turonensi archiepiscopo acclamantibus et auctorizantibus privilegia libertatis et immunitatis, quæ ipse papa nobis et ab Urbe miserat.

Goffridus Vindocin. abbas ep. 20, lib. III, *formatam et formosam* appellat litteram hanc epistolam, ni fallor

*Rainaldum.* Goffridus Vindoc. ab ep. 11 lib. III. *Ildebertus vir religiosus*, qui post metropolitanum in Provincia primus erat episcopus, non tacuit inquit, a vestra consecratione, licet a suo metropolitano vocatus, se ipsum absentavit, et execrationem esse potius quam consecrationem apostolica et evangelica veritate prædicavit.

*Petitio vestra qua vocamur.* Canon Antiochenus Ecclesiæ universæ 61. Fulbertus epist. 28, 61.

*Seditiosus turbæ turbæ clamor.* De eadem electione Raynaldi laudata epist. 11. Rainaldo, ad verbum: « Arreptus tristis a vulgo; et quod ibi factum est, hoc præsumptuosa et perniciose fecit seditio. » Et mox: « In illa siquidem actione, imo vulgi conspiratione, quam pro electione reputatis, lex inter arma siluit, vox divina locum non habuit. Totum sibi levitas vindicavit et vanitas, ubi mima quædam et mulier publica, quæ vel garruliter acclamabat, amplius potuit, quam plebis maturitas, vel clericalis honestas potuerit. » Ildebertus, ep. 12.

*Asserit et decanus.* Stephanus. Goff. ep. 11. Mibi soli, sicut arbitror, pro crimine non debet ascribi, quod Stephano decano vestro, et personis quæ ad fuerunt potest potius imputari. Omnes utique con-

tradixerunt illam quam vestram fecisse dicitis electionem, et exprobraverunt. Nec immerito; nam illis invitis et non potentibus accipi fecistis a vulgo Adi Marbodi epistolam.

*Timori cessistis, non rationi.* (68) Contra interdicta canonum comes Andegavensis ad hoc eos coegit. Synodus Aurelianensis, can. 11. Nullus invitis datur episcopus; sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum cives aut clerici inclinentur.

AD EPISTOLAM X [nunc 11 lib. III].

*Mathildi.* V. G. Mathillidi, ad quam Ivo Carnotensis epist. 107, 142, et 174, quibus liberalitatem illius celebrat, cui succinit Hildebertus, ep. 16.

*In leges et in Ecclesiam Christi peccare convinceretur, nisi de salute illius lætatur et legum reverentiam, et Ecclesie statum incolumem.*

AD EPISTOLAM XI [nunc 14 lib. II].

*S. Cuthberti.* Codex Cord. legit *Guiberti*. Melius *Cuthberti*. Cœnobium est.

*Quo nobis ab Aquilone panditur omne bonum.*

In simili argumento sui dissimilis et pene contrarius videtur Hildebertus, ep. 66: « Quotidie flat aquilo, inquit, non floribus tantum, sed et fructus suspectus et foliis; rogandus est auster ut veniat et perflet hortum suum. » Utrobique enim de reformandis monachis, et a turpi et propudiosa vita ad meliorem frugem conversis agitur. Tamen nihil a se discrepat; hic enim aquilo plagam australem cui subjacet designat.

AD EPISTOLAM XII [nunc 5 lib. I].

*Commonitorium salutis.* Fulbertus epist. 7: « Precamur vos illi *commonitorium* scribere ut jam dicto episcopo sua reddat, et eum in pace vivere sinat. » Et 63: « Expectandum et *commonitoris* utendum esse reor, donec illos aut pœnitentia corrigat, aut summa judicis sententia mulcet. » Ordericus Vitalis, lib. x, p. 781: « Venerandus Serlo abbas *commonitorios* apices edidit. »

*Non elegit te clerus, sed minæ populares intrusere.* Improbatur electio Reginaldi multiplici ratione. Prima, quod intrusus diceretur a populo, cujus suffragium quanti faciendum in electione episcoporum docent canones Romanorum ad Gallos episcopos, his verbis: « Meritis et observatione legis ad istiusmodi dignitatis acumen accedunt; non simonia, pecunia, vel gratia quis poterit pervenire, aut favore populari. Non enim quid populus velit, sed quid evangelica disciplina perquiratur. Plebs tunc habet testimonium, quoties ad digni alicujus meritum reprehendens (quid si legas perpendens) auram favoris impertit. » Aurea Ecclesie sæcula populo jus suffragii liberum in electione pontificum non immutare voluit, quod vel pueris notum, sed

A ambitiosas vilis plebeculæ preces compressit et pretio comparatas. Acta conciliorum, can. 13. sin. Lundicene, παρὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιῆσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον. *Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere qui in sacerdotio constituendi sunt.*

*In summis sacerdotibus ætas integra.* Annorum integritas, id est pleni dies. Canon 17 concilii Agath. Antequam ad viri perfecti ætatem perveniant, seu ante trigesimum 2 Justell. ad can. Sircicus ad Himerium Turon. episcopum, c. 9: « Longinus presbyterium consequetur, et exinde post decennium episcopi cathedram poterit adipisci. » In Trullo, c. 14: Agathensis, cap. 17: « Presbyterum vel episcopum ante trigesimum annum, id est antequam ad viri perfecti ætatem pervenerit, nullus ordinare præsumat. » Goffridus, ep. 153: « Eliminetur ergo de Luxoviensi Ecclesia Rannulfus Dunelmensis episcopus, ut digammia non admittatur. » *Eliminetur...* ejus, ut *Neophytorum hæresis* extirpetur, ep. 157, quam jam per plures annos Rannulfus cognomine Flammardus Dunelmensis episcopus inaudito invasionis genere occupavit, qui *duos filios suos vix duodennes*, accepto pastorali baculo a comite Northmannorum, prædictæ Ecclesie intrudi fecit ea conditione, ut si primogenitus moreretur, Judaico more in episcopatum alter alteri subrogaretur.

*Nec reverentiam dignitas amittat.* Virtutibus episcoporum σεμνότητα annumerat Paulus ad Titum, c. 11; II ad Timoth., c. 11, v. 8

C *Detulit ætati, non meritis. Quibus annis prædicatio committi debeat.* Prædicatores et doctores episcopi, Bonifacius, epist. 3 ad Fulradum: « Almitatis vestræ prudentiam diligenter in Dei nomine deprecor ut filium meum Lucium et coepiscopum, si Deus voluerit, et sic clementiæ vestræ placeat, in hoc ministerium populorum et Ecclesiarum componere, et constituere faciatis prædicatorem et doctorem populorum. » Synes., ep. 105: « Episcopus νομοδιδασκαλος ὢν καὶ νοσοκμισμένω φθγγόμενος, » *sic legis doctor, atque legi consentaneus eloquatur.* V. Procopium Gazæum.

*Quisquis in sacri non fuerit ordinibus inventus, ad summum sacerdotium canonicis prohibetur accedere institutis.* Synodus Arvernensis a Sirm. ad Goffr. ad hanc rem, ita, a. 5: Ut nullus laicus, clericus, vel tantum subdiaconus in episcopatum eligatur.

Episcopi primitus non nisi de familia et alumni Ecclesie, sed ordine, qui primi nomen dedissent, et gradatim ad archidiaconatum et archipresbyteratum procedente tempore pervenissent, eligebantur. Unde syn., ep. 67, ἀπότροφος ἐκκλησίας ἀγωγὴν ἐτίθειν ἡγμένως θυσιαστηρίων ἡψάμεν Θεοῦ. « Extra Ecclesiam educatus, alio disciplinae genere institu-

(68) Hic de investituris laicis agendum. Goffr. p. 147 et 175. De regalia comitum, hoc violenter

ab ipso extortum. Fulb., ep. 99 Guidonis, p. 80:

tus, ad altare Dei accedere non dubitaverim. » A  
 (69) Quod multis displicuit, unde et electio in-  
 troduca. Auctor commentariorum in Ep. Pauli ad  
 Timoth inter opera Ambrosii: « Quod acceperint  
 sequentes presbyteri indigni iudicati ad primatus  
 tenendos, inventa est electio..... Concilii, ut  
 non ordo, sed meritum crearet episcopum multorum  
 sacerdotum iudicio constitutum, ne temere indignus  
 usurparet, et esset multis scandalum. » Coelestinus  
 in ms. Stellæ

Zozimus d. 8. Verum etiam in ordinatores ejus,  
 ut carerent eo ordine quem sine ordine, et contra  
 præscripta Patrum crediderunt præsumendum. Con-  
 ciliam Italiæ Theodos. inter epistolas quas juris  
 publici fecit nuper incomp. Sirm. cujus ordinatio  
 quem ordinem habuerit non videmus. Goffr., ep.  
 10, lib. III ad Reginaldum ipsum: « Omnes post-  
 modum ordines, sed sine ordine, quia in octe die-  
 bus, et non certis temporibus accepistis, propter  
 episcopatus ambitionem »

*De electione qui loquar, in qua minime licet  
 populo clerum præcedere.* S. Romanorum sy-  
 nodus.

*Cælestinus papa.* Notavit quis ad oram ms. codi-  
 cis, non esse in impressis.

*Concorditer postulaverit.* Ea maxime laudata 200<sup>ma</sup>  
 electio, quæ uno ac, etc. Riccius, ep. 30, lib. II:  
 « Bene tacitis, ut hominem, quem communis consen-  
 sus elegit, ordinatis, sed admonete eum ut veritati  
 studeat, non falsitati, paci, non perturbationi, » etc.  
 Eucherius, hom. De ordinatione sacerdotis: « Stu-  
 peo erga beatissimum antistitem vestrum unam fuisse  
 in tot vocibus vocem, unamque in tot pectoribus  
 voluntatem. » Et mox: « Sed nimirum cunctatio-  
 nem abstulit voluntatum privilegium singulare me-  
 ritorum. Ubi enim se virtutum non potest ingerere  
 comparatio, studiorum non laborat electio. Longæ  
 deliberationis cessat necessitas, ubi non compo-  
 nat æqualitas; pati multa discretio moras nescit, ubi  
 inter plures optimus unus excellit. » Quo spectat  
 etiam illud Synesii epist. 76 Καὶ συνήσθη μὲν ἀνδρά-  
 σιν ἐκ πολλῶν καὶ πάντων ἀγαθῶν ποιούμενος τὴν αἰ-  
 ρίαν. Πολὺ δὲ πλείον Ἀντονίῳ συνήσθη τῆς καλοκα-  
 γαθίας ὅτι καὶ κλιῶν ἔδοξεν εἶναι καλλέων. Ἔστι γὰρ  
 τοῦτον ἡ κινδύμος ψῆφος ἠνέκθη. Προτιθέμενων δὲ  
 καὶ ὄσοις ἐλάττωσι τῶν ἐπισκόπων τῆ γνῶμη τοῦ πλῆ-  
 θους, etc. « Atque ego sum quidem hominibus gra-  
 tulatus, quod e multis iisque bonis omnibus electio-  
 nem facere, sed multo magis Antonio de sua pro-  
 bitate atque integritate sum gratulatus, quod bonis  
 melior iudicatus esset. Etenim in eum commune  
 omnium suffragium collatum est; cumque se multi-  
 tudinis sententiæ duo religiosissimi episcopi adun-  
 xissem, » etc. Calculum suum addidit, atque ele-  
 ctioni consensit. Hunc vero consensum divinæ gra-  
 tiæ acceptum fert idem Synesius ep. 67. Quod plu-  
 ribus explicuit doctiss. Justellus ad canonem Ecclesiam  
 universæ, cap. 2, conc. Nicæni. Si forte dissentiendo

(69) *De promotis per saltum.* Zozimus.

Patres et populus scinderentur in contraria, tum  
*sorte* controversia omnis dirimebatur. Hujus moris  
 vestigia exstant in Gestis ms. S. Euvellii episcopi  
 Aurelianensis.

*Religiosus abbas.* Goffridus abbas Vindocinensis,  
 qui intestis signis ieruit in Reginaldum, duoque  
 partium factus pluribus epistolis in electionem im-  
 pegit, quas opere pretium est videre, lib. III et IV.  
 Guillelmus item abbas S. Florentii Salmuriensis. In  
 his etiam Bernardus abbas S. Sergii in suburbio ur-  
 bis Andecavæ, ad quos Goffridus scripsit epistolam  
 8, lib. IV, qui tesseram conspirationis statim ab ipso  
 limine erigens sic ait: « Si veræ charitatis vinculo  
 in invicem alligati sumus, et si fervore Spiritus S.  
 accensi contra tortuosum et subdolum illum Regi-  
 naldum, quem nostis, ne animæ nostræ cum populo  
 Dei pereant, pugnare decrevimus? » Addit Berne-  
 rium Bonævallis abbatem. Sirm., ep. 16, lib. IV ad  
 Bernerium, cui libenter assentior. Verum enim vero  
 licet nomini Reginaldi parcat, solitis tamen eum co-  
 loribus depingit et prodit.

*Integri personæ nominis.* Stephanus decanus,  
 Guamerius, Guillelmus archidiaconi, et Hubertus  
 archidiaconus et præcantor Ecclesiæ Andegaven-  
 sis, de quibus ad epist. 10. Quos tempesta-  
 tem hanc excitasse constabit ex epist. ms. quam  
 transcribere placuit ex chartulario Vindocinensi  
 (70). Ipsa siquidem adeo Goffridum illustrat, ad  
 quem scripta est a Sephano et Guillelmo.

AD EPISTOLAM XIII (nunc 6 lib. II).

*Homo est sub potestate constitutus.* Supremam po-  
 testatem summi pontificis Reginaldo ostendat, de  
 ordinaria metropolitani sui securo. Incassum enim  
 favit pontifex electo. Goffridus epistola sæpius lau-  
 data, quam scripsit rebus jam pacatis: *Hæc pauca  
 de multis, quæ forsitan oblivioni tradidistis, vestræ  
 sublimitati dignum duxi ad memoriam revocare, ut  
 unde et quomodo sumpsistis episcopi nomen, vobis  
 ulterius non liceat ignorare. Illa vero aileo quæ  
 dominus papa novit, et indulset, quia meum non est  
 retractare quod ipse fecit. Vitam enim vestram nullo  
 genere religionis approbatam noverat, et vos infra  
 annos esse, et nullam penitus ordinem habere for-  
 tasse audierat. Perstringit hic modestius vimiam  
 pontificum Romanorum in convellendis conciliorum  
 Patrumque decretis facilitatem.*

AD EPISTOLAM XIV (nunc 48 lib. II).

*Willelmo archidiacono.* Consentiant omnes mss.  
 codices in hac inscriptione. Cujus ecclesiæ archidia-  
 conus fuerit non ita proclive est dicere. Difficultatem  
 patimur ad formalia exauctorationis verba, quibus  
 diaconum Simoniacum se gradu *submovere* dicit,  
 a diaconatu et supra submovendum cognovimus et  
 submovemus. Unde elicias censorem et iudicem,  
 non consultum (f. consiliarium) agere Ildebertum.  
 Nullus porro archidiaconus Cenomanensis hujus no-  
 minis occurrit. Existimaverim aliquando illum ipsum

(70) Quam tamen hic non exhibuit D. Loyauté.

esse Guillelmum archidiaconum Andegavensem, de A nere ad Ecclesiam nostram, divina gratia comitante, reversi sunt. »

*A sacerdotio quoque canonica eum suspendit auctoritas.* Impropris.

*Vel non dum vel male.* Ait Tertull., contra Marcionem, ea ratione Pacianus de Novatiani consecratione, ep. 2, ad Sempronianum Novatianum : « Sine consecratione legitima episcopum factum, ideoque non factum. »

*Agitur de tuo periculo, si patiaris præscriptum fratrem.* Archidiaconos spectabat ea maxime cura.

*De Simonia.* Non absimile illud Salisberiensis in Polycrat., lib. v, c. 11 : « Æquitas alienatur a venditore, licet ad emptorem non transeat; et empti iniquitas sic ad emptorem transit, ut nequaquam a venditore recedat; et, quod in aliis contractibus B non experitur, solus ille justitiam vendit qui non habet. »

*Malo hujusmodi nullum penitus inveniat remedium.* Segnior ætas mollior extraordinaria remedia reperit, quorum usum frequentiore indulgentia fecit. Et plenior potestas ad disciplinæ publicæ emendationem data nimium sceleribus (/ parcens)... aureorum retro sæculorum politiam pessumdedit. Condonatum fuit aliquando scelus multitudini peccantium. Discimus ex epist. Zachariæ papæ ms.

AD EPISTOLAM XV (nunc 7 lib. 1).

*Matildem.* Idem argumentum epistolæ Goffridi et consequentium.

*Oportet judicem mitigent aliqua bona.* Mos Persarum a Mureto observatur.

(Ad epistolam XVI nihil notavit auctor.)

AD EPISTOLAM XVII (nunc 1 lib. II).

*G. archidiacono.* Is forte Gervasius Paganellus archidiaconus Ecclesiæ Cenomanensis, cujus mentio fit in Vita Hildeberti his verbis : « In his diebus erat in Apulia miles quidam, nomine Gaufridus, filius Gaufridi de Meduana, unus scilicet nostræ regionis primoribus, argento et auro et magnarum possessionum divitiis, quas in illis partibus acquisierat, opulentus, qui ob amorem et memoriam patriæ suæ capellariam suam, id est quædam pretiosa ornamenta quæ in capella sua habebat, Deo et sanctissimo patrono nostro Juliano voverat se daturum. Is ergo Jerusalem profecturus misit episcopo nostro litteras suas, in quibus continebatur ut aliquos ei de clericis suis mitteret, viros fideles et industrios, quibus ornamenta illa possent et sine aliqua fraudis suspitione committi. Quo episcopus lætus et hilaris effectus, misit illuc duos ex canonicis Ecclesiæ nostræ, Gervasium Paganellum archidiaconum, et Hugonem de Lavarzino (71), tunc temporis archipresbyteri officio functum, tradens eis abunde stipendia quæ tanto itineri necessaria videbantur. Qui injunctum sibi negotium strenue peragentes, et omnia sicut ille eis mandaverat absque difficultate recipientes, cum ornamentis illis prospero iti-

(71) Hic forte nepos Hildeberti.

ne ad Ecclesiam nostram, divina gratia comitante, reversi sunt. »

Nequaquam tolerantur dispensatione Ecclesiæ, sed justitiæ censura puniuntur. Concilium Epaunense, can. 30 : « Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nec ullo conjugii nomine prævelandos, præter illos quos vel nominare funestum est, hos esse censemur. » Si quis relictam fratris, quæ ejus prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit, excommunicabatur, nec aliter ad pœnitentiam admittebatur, quam si matrimonium dirimerent. Διὰ τὴν φιλανθρωπίαν ἔξει τὴν μετανοίαν, « propter humanitatem pœnitentiam habebant, » can. 20 conc. Neocæsariensis.

*Triburiensi concilio* Idem canon in hanc rem laudatur ab Ivone, ep. 22.

*Desponsatum tamen fratris frater habere non posset.* Canon 54 conc. Illiberitani græve crimen vocat sponsalia fingere, quem addita negatione corrupit Gratianus c. : *Is qui*, 31, q. 3, et excommunicationem indicit.

*Licita vero conjugia eis non negentur.* Incestuosis aliquando secunda matrimonia interdicta. Canon 4 concilii Vermeriensis. V. can. *Quædam cum fratre*, 32, q. 7, et, *Hi vero*, ibid. Burchardus, 17, c. 52 : Cum quibus mitius agit concilium Triburiense.

*Ad contactum ferri calidi.* Alexander II Rainaldo Cuniano episcopo vulgarem legem ac nulla canonica sanctione fultam, ferventis scilicet, sive frigidæ aque, igitur ferri contactum.

*Etenim lex frustra adducitur.* Puellam cogere ad probationem virginitatis ferri candentis contactu ea ratione improbat Hildebertus, quod per eam nequidem matrimonium liquido constaret. Frustra ergo periculum subiret in probanda virginitate quam contendit talem probationem nil juvare. Quod L. de probationibus juris Romani regulam maxime obtinuisse in judiciis igniti ferri. Auctor veteris fragmenti quod inseruit suis notis Juretus ad Ivonis ep. 74 : « Simoniaci non admittantur ad iudicium, si probabiles personæ etiam laicorum vel feminarum pretium se ab eis recepisse testantur; nec aliud est venire ad iudicium pro manifestis nisi tentare Dominum. Unde et multoties in talibus (erratur,) quia Deus longe est ab his qui tentant illum. »

AD EPISTOLAM XVIII (nunc 32 lib. II).

*Viam qua prospero eventu liminibus apostolorum præsentiri mereamur* Sic epist. seq. « Tantis agitati turbibus ad apostolorum limina decernimus proficisci, magnum novæ tribulationis arbitrati remedium, si Romanus pontifex nobis ex consilio subvenit, et auxilio. »

(Hic desinunt eruditissimæ clarissimi et doctissimi jurisconsulti ad epistolas Hildeberti notæ.)

Cum tamen nobis a superius laudato cl. D. Logé perhumaniter concessum fuerit, ut quæ præfatus

D. Loyauté ad epistolas Ildeberti paraverat scrutari liceret, occurrerunt nobis duo mss. epistolam Ildeberti ipsi circiter quasi cœvi, ad quorum alterius marginem sua ipse manu notulas quasdam, ut credere par est, aliquando, prout ei in animo erat, excudendas exerpserat. Quas cum litteratis non ingratis fore censuerimus, illas litteris licet minutissimis, et visum pene fugientibus exaratas hic etiam adjecimus.

Sic nimirum ad epistolam secundam Ildeberti scribebat: *Rivallo* (72) scripta hæc ep. lingua Aremorica, quæ Gallica vetus est. Rivallo dicitur rebellis et protervus. Auctor historiæ S. Turiani episcopi Dolensis: Presbyter quidam de primariis Britannicæ procaci nominis sui usus vocabulo, nam Rivallo dicebatur (quod rebellem significat et protervum) sagitta diaboli iotus est. Inde idiotismus noster retinuit: *Rivaux* qui adversas partes fovent tuenturque pertinaciter.

Plures eodem tempore ejusdem nominis archidiaconi et diversi videntur mihi. Sic legimus Rivallo-nem Nannetensem archidiaconum dignitate sua cassum in Ecclesia Nannetensi, in Macloviensi supparem ad Petrum.

Ad epistolam tertiam. Adde versus Baudrici de natione Andeg. quibus evinces magno semper in pretio fuisse litteratos apud Anglos.

*Unase nostra Ecclesia exerpitus*, scilicet surculus; filii surculi dicebantur. Abbas Callensis, epist. 5: « Cujus filius fuerit ex primoribus, nec ramusculus ipse a radicis pinguedine paternæ degenerat. » Corippus, lib. II: « Arboris ut matris quæ de radice propago nascitur. »

Ad septimam. *Guallierius de Clinampo*, vulgo de *Clinchamp*. Imparem. Pares vir et uxor.

*Tradita est*. Acta Albercii: « Inter eos [Marcum et Verum] convenerat, ut stato die Lucius quidem ab Oriente, Antoninus autem Roma venirent Ephe-sum, et in templo quod ibi erat Dionæ, Antoninus, dea teste, traderet puellam, Lucius vero acciperet.

Ad octavam. *Flabellum*. Anselmus, lib. III, ep. 136: « Tutius et diligentius puto, ut calix (ne aut muscæ, aut aliquid indecens in illum cadat, quod sæpe contigiisse cognovimus), tam opertus quam discoopertus contingentibus immunditiis exponatur. »

Ad nonam *Petitio vestra*. Ms. Puteanorum miniatilis litteris. In hac se excusat ad Andegavenses, qui eum invitaverant ad consecrationem electi sui.

Glossæ Isidori. Rogatus competitor.

*Religiosarum personarum*. Abbates. Quando autem primum in electionibus episcoporum suffragii jus habuerint, incertum, et pari jure in electionibus summorum pontificum.

*Necessaria dispensatione*. Bernaldus presbyter Constantiensis de vitanda excommunicatorum communione, et reconciliatione lapsorum. Leo Magnus scribens ad episcopos Mauritanicæ, etiam neophytos,

A utpote de laicis in episcopatum maturatos in episcopatu legitur tolerasse. Nusquam tamen sancti Patres ita temporari morem gessisse leguntur, nisi ubi plus Ecclesiæ lenitas, quam canonica severitas proficere videbatur.

*Ad judicium*. Appellaverunt sedem apostolicam canonici Andegavenses, unde minatur metropolitanus suo Ildeberto.

*Ad duodecimam. Commonitorium*. Sigofridus, ep. 6, Gregorio VII: « Quod in *commonitorio* vestro posuistis me vestræ paternitati secretum, imo salutis meæ commisisse consilium, et alia quædam, quasi correctionis limam addidistis, ad castigationem vitæ et morum. » Quod ad *commonitorium*, Justellus ad canones Africanos.

B *Sed minæ populares*. Non conveniunt viri docti de usu can. conc. Nicæni. Negat Sirm. post conc. Nicænum jus fuisse populo suffragii, eamque potestatem penes episcopos solos fuisse asserit, evincitque quo pollet ingenti acumine ex Basilio et Amphilochio.

*Nullum timetis*. Hincmarus episcopus ad clerum et plebem Cameracensem ex decretis Leonis, c. 35: « Nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne civibus episcopum non optatum contemnant, aut oderint, et fiat minus religiosa quam convenit [supp. electio]; nec non ... habere quem noluit. » Et in decreto cleri Laudunensis de Hedenulfo, electo: « Quia cui debet ab omnibus obediri, utique ab omnibus debet eligi. »

C *Ad decimam quinta. Ad regis delicias formosa facta es*. Chron. Turon. an. imperatoris Henrici XLVII, et Philippi XLIII. Henricus rex Angliæ duxit in uxorem Mathildem sororem Davidis regis Scotiæ, filiam Malcomi, seu Malcolmi regis, quam suscepit ex S. Margarita regina; et postea genuit rex Henricus ex ea Guillelmum, et duas filias Mathildem et Notham. Will. Malmesb. De gestis regum Anglorum, pag. 93 et pag. 122, in Guillelmo II; Henricus Hynghondoniensis, Hist. lib. VI, pag. 366; Edmundus filius Edmundi. Hic fuit pater Margaritæ reginæ Scotorum. Margarita vero fuit mater Mathildis reginæ Anglorum et Davidis urbanissimi regis Scotorum. Idem auctor, lib. VII, pag. 380, refert ejus obitum ad an. XIV minuti XVI. Rogerus de Houghton., pag. 68. Rex Anglorum Henricus minor natus Angliæ congregavit Londoniæ et reginæ Scotorum Malcolmi, et Margaritæ reginæ filiam Mathildem, nomine sororem.... Edgari, Alexandri et David in Anglia accepit, quam Anselmus Doroberniensis (seu Cantuariensis.) archiep. Dominica die festivitatis S. Martini reginam consecravit et coronavit. Inter epistolas varias a Gretæro editas, exstat epistola Henrici imperatoris ad Mathildem Anglorum reginam, quam sic alloquitur: Sicut nonnullorum relatione didicimus multas grates bonitatis, multa debemus argumenta amicitiae. » Ab eo forte scripta, cum Adelam peteret.

(72) Unde veniat vocabulum *Rival*, seu in plur. *Rivaux*